

Ma

117

Thefes,  
CONTINENTES

A'NA'ATΣIN DISPVATIONIS CHRISTI  
IOAN. VI. DE PANE VITÆ, ET DE VERA  
eius manducatione, propositæ in Schola il-  
lustri ad Fontes salutis  
anno 92.

A V T O R E

M. ADAMO FRANCISCI, ABBA-  
TE AD FONTES SALVTIS, IN MAR-  
chionatu Brandenburgico.



T V B I N G Æ  
Excudebat Georgius Gruppenbachius.

M. D. X C I I.

Theses

CONTINENTES

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS



IN VITIS

IN VITIS

IN VITIS

# T H E S E S.

1.



AGNA EST VARIETAS INTERPRETATIONUM & opinionū, quibus grauiſſima & maximi momenti Diſputatio Chriſti Ioan. 6. de Pane vitæ, & de vera eiufdem manducatione, in Eccleſia non tam explicatur & illustratur, quàm inuoluitur, & obſcuretur, vt veram ſententiam homines imperiti non facilè aſſequi poſſint.

2.

Iudæi profani & ciues Capernaitici in primis, aduerſus quos Diſputationem hanc ſuſcepit Chriſtus, carnali eam ſenſu, de Cyclopica laniena carnis, & de Scythica ingurgitatione ſanguinis Chriſti, accipiunt & intelligunt.

3.

Hanc abſurdam & monſtroſam opinionem noſtra ætate arripiunt Sacramentarij, Zvingliani & Calviniſtæ, eamque falſò & contra propriæ conſcientiæ teſtimonium adſcribunt Orthodoxis, qui ſubſtantialem præſentiam, & oralem ſeu ſacramentalem manducationem corporis Chriſti in ſacra Cœna, ſecundùm verba institutionis, defendunt.

4.

Ex veteribus & recentibus Orthodoxis quidam magni nominis præcipua membra Diſputationis huius ad Cœnam Domini accommodant, non vt ſubſtantiam Cœnæ ſacræ explicent, ſed vt de ſalutari eius uſu & fructu, qui in ſpiritali perceptione corporis & ſanguinis Chriſti conſiſtit, Eccleſiam erudiant.

5.

Hoc exemplo abutentes Sacramentarij, priùs nominati, diſputationem Chriſti Ioan. 6. cum institutione ſacræ Cœnæ confundunt, & in hac nullum alium modum manducandi & bibendi corpus & ſanguinem Chriſti deſcribi & præcipi ſentiunt, quàm ſpiritualem, de quo Chriſtus Ioan. 6. ex profeſſo diſſerit.

6.

Hi etiam toti concioni Chriſti nebulas pernicioſas offundunt,

A 2

dum

dum magnam eius partem ad stoica deliramenta, de arcano & absoluto decreto Prædestinationis ac reprobationis hominum detorquent, & virtutem viuificandi, quam Christus carni suæ prolixè tribuit, Nestoriano more carni Christi detrahunt, soli que Spiritui adscribunt.

7.  
Quæ cum ita sint, piæ mentis est, veram atque genuinam sententiam huius Disputationis, quæ summam totius Euangelij complectitur, considerato scopo, quem ipse contextus orationis & omnium membrorum collatio monstrat, sincero studio inquirere, & ab omnibus corruptelis falsarum opinionum vindicare.

8.  
Scopus Disputationis, ad quem omnia verba, omnesque sententiæ diriguntur, simpliciter hic est: Quòd Christus securis & præfractis Iudæis persuadere omnibus modis cupit, se in assumpta carne humana esse Filium Dei, & Messiam, Redemptorem ac Salvatorem generis humani, diuinitus missum, qui carnem suam pro mundi vita in mortem traditurus, & sanguinem suum in remissionem peccatorum effusus sit.

9.  
Deinde seuerissimè eos hortatur, vt omni carnali securitate & fiducia propriæ iustitiæ deposita, in ipsum solum credant, & firma fide statuunt, se carne eius à morte æterna redemptos, & sanguine eius à peccatis ablutos esse, si vitæ ac salutis æternæ participes fieri volunt.

10.  
Hic scopus in omnes partes Disputationis spargitur, quarum tres maioris perspicuitatis gratia constitui possunt, *πρότασις*, *ἐπίτασις*, & *καταστροφή*, quæ singulæ certa membra, monstrantia & illustrantia scopum principalem, aptissimo ordine includunt.

11.  
Membra *τῆς προτάσεως* sunt. 1. Occasio Disputationis. 2. Propositio eiusdem. 3. Rationes propositionis. 4. *ἐξήγησις*, seu perspicua declaratio Propositionis, & 5. Occupatio, superba & malitiosæ obiectioni Iudæorum occurrens.

12.  
Occasio existit à multitudine quinque millium virorum, quos  
Christus

119

Christus verno tempore, paulò ante tertiù Pascha prædicationis  
sua, in solitudine, ad ripã maris Genezareth, exiguo com meatu,  
quinq; nimirum panibus hordeaceis & pisciculis duobus, præter  
& contra naturæ ordinem cibauerat.

13.

Hi enim altero die, post editum miraculum, ad ripam maris,  
& ad oppidũ Capernaum profecti, studiosè quærunt Christum,  
eiq; in Synagoga versanti, vnà cum ciuibus Capernaitis fami-  
liariter se adiungunt, non vt modũ consequendæ salutis æternæ  
ab ipso discant, sed vt ventri suo consulant, & deinceps etiã rerum  
omnium ad victum necessariarum copiam, ab eo consequantur.

14.

Hoc peruersum studium seuerissimè taxat Christus. Et sicut  
Iohan. 4. occasione aquæ corporalis, prolixam disputationem de  
aqua spirituali, saliente in vitam æternam, cum muliere Samarita-  
na instituit: ita hic à cibo corporali, quem profani Iudæi & ciues  
Capernaitici magno studio quærunt & expetunt, occasionem  
sumit, vt prolixè & grauitè admodum cum eis disputet, de cibo  
spirituali, qui ritè manducantibus confert vitam ac salutè æternã.

15.

Ordine enim explicat, & diligenter inculcat sex præcipuas  
circumstantias, quis sit cibus ille spiritualis, quem omnes homi-  
nes ardenti studio quærere et expetere debent, à quo detur, per  
quæ media & organa detur, quibus hominibus detur, quomodo  
ritè manducetur, quæ sit eius efficacia, seu quem fructum ritè  
manducantibus conferat.

16.

Propositio disputationis bimembris est, cuius utriusque  
membrum pertinet ad genus Suasorium apud Rhetores: Quæ-  
ritis me, non quòd vidistis signa, sed quia comedistis de panibus,  
& saturati estis. Operemini non cibum pereuntem, sed qui per-  
manet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.

17.

Prius membrum continet sententiam negatiuam, quæ est  
reprehensio peruersi studij in Iudæis, quòd propter commoda  
ventris sequuntur Christum, non propter animæ salutem: & de-  
hortatio, ut ab hoc peruerso studio quamprimùm desistant, ne

A 3

animæ

animæ iacturam faciant, & in periculum æternæ damnationis  
incidant. 18.

Posterius membrum continet sententiam affirmatiuam,  
quæ est cibi spiritualis, reficientis animas hominum ad vitã æter-  
nam, commendatio, & adhortatio, vt Iudæi hunc cibum spiri-  
tualem omni studio & summa animi contentione consecutur, si  
à morte æterna liberari, & ad vitam æternam peruenire volunt.

19.

Rationes quatuor propositioni adduntur. Prima Antithesin  
continet cibi corporalis & spiritualis, quorum ille caducus, hic  
verò perpetuus est.

20.

Secunda ducitur ab vtili, seu ab efficacia cibi spiritualis, quòd  
ritè manducantibus vigorem immortalitatis suppeditet, & ani-  
mas eorum sustentet, ac comitetur ad vitam æternam.

21.

Tertia sumitur ab honesto, seu ab autore & datore cibi spiri-  
tualis ac perpetui, qui non est homo nudus, procurans bona ter-  
rena & caduca, sed Filius hominis & Filius DEI simul, ideoq; ve-  
rus DEVS & verus homo in vna indiuisa persona, qui solus coele-  
stia & æterna bona procurare & largiri potest.

22.

Quarta sumitur à decreto Dei Patris, ab vnctione Spiritus  
sancti, à stupendis miraculis, & ab alijs illustribus testimonijs, qui-  
bus, ceu sigillis quibusdam & pignoribus certis, pater æternus  
Filium suum, humana carne indutum, obsignauit & confirmauit  
ad hoc officium, vt hominib. cõmunicet cibum spiritualem per-  
petuum, & per hunc animas esurientes reficiat ad vitam æternam.

23.

Cùm autem Iudæi sententiam affirmatiuam propositionis, de  
bonis operibus in lege mandatis, intelligerent, & his vitam æter-  
nam se mereri & cõsequi posse opinarentur: perspicuam <sup>è & in C</sup>  
addit Christus, cùm inquit: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum,  
quem ipse Deus misit.

24.

Quib. verbis Metaphorã, qua priùs vsus fuit, disertè explicat,  
& non solum perspicuè confirmat, se cibum illum spiritualem ac  
per-



perpetuum esse, quo homines ad immortalitatem aluntur, sed etiam manducationem sui interpretatur, quod sit vera fides, apprehendens & applicans eius beneficia.

25.

Præterea hunc cultum omnium summum, Deoq; gratissimū esse docet, vt Iudæi & omnes homines in ipsum, vt verū Messia, ad opus redētionis à Deo patre missum, firmiter credant, omnemq; spem & fiduciam salutis in ipso solo positam atq; fixam habeant.

26.

Sed quid ad hæc omnia Iudæi & Capernaitæ? quamvis ἐξήντησαν probè intelligunt; tamen Christū ipsum & miraculū eius pridie in solitudine editū, sceleratè contēnunt, & insigni impudētia nova signa postulare audent, quibus ad fidem Christo adhibendam adducantur.

27.

Imò Mosen & Manna eius, quo Israëlitas per annos 40. in deserto pavit, superbè & maliciosè obijciunt, vt eò magis declarent, quantopere ipsis Christus cum omnib. hætenus editis miraculis sordeat.

28.

Huic superbæ & maliciosæ obiectioni occurrens Christus, quinq; ἀντιθέσεις instituit, dū Mosen & Deum patrem: panem verum & typicum: Manna è cælo missum, & in aère genitum: vitam temporalem & æternam: deniq; sexies centena millia hominum & mundū vniuersum, seu totū genus humanum, inter se opponit.

29.

Et hæc ἀντιθέσεις ac πρῶτα ἔτι ipsam concludens, se non solūm persona & officio, sed etiam miraculis & beneficijs suis, Mosi longissimè anteferendum esse docet.

30.

Quia verò Iudæi & Capernaitæ ad Ironiam conuersi, Emphatica Christi verba petulanter eludunt, & Epicureo more ventris ingluuiem pane terreno expleri petunt: iusta indignatione mouetur Christus, vt disputationem institutam ad ἐπιτάξιον deducat, & vehementiore impetu orationis secuta ipsorum corda feriat, siquidem lenioribus verbis nihil se proficere animaduertit.

31.

Membra τῆς ἐπιτάξεως sunt. I. Translatio Thesis ad Hypothesin. II. Cōfirmatio Hypotheseos per argumenta grauissima. III. Querela



rela de incredulitate & stupore Iudæorum, cuius causa disertè exponitur, & ex Antithesi ordo diuinus in conuersione hominis describitur. IV. Confutatio virulentarum obiectionum. V. Epilogus repetens statum cum præcipuis argumentis,

32.

Thefin ad Hypothesin transfert Christus, cum id, quod antea generaliter & in tertia persona de pane quodam spirituali & cœlesti dixit, specialiter ad se accommodat, & in prima persona *Ἐγώ εἰμι ἡ ἄρτος* inquit: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam.

33.

Hanc Hypothesin octies repetitam, postea specialiùs ad suam carnem restringit Christus, quam sexies panem vitæ, & cibum viuificum nominat, eumque quater cum sanguine suo coniungit, quem similiter potum viuificum nominat, & parem dignitatem atque efficaciam cum carne sua habere docet.

34.

Forma igitur sermonis in hac hypothesi figurata est per metaphoram, cuius ratio manifesta est.

35.

Sicut enim panis terrenus, aliusque cibus & potus naturalis, alit & sustentat corpus ad vitam hanc præsentem & temporalem: ita Christus precioso merito suæ carnis & suæ sanguinis, quod in prædicatione Euangelij vera fide apprehenditur, & applicatur, nutrit ac fouet credentes ad vitam beatam & immortalem, quæ in cœlesti consuetudine futura est.

36.

Est et Metaphora in verbis Manducandi & Bibendi, quam Christus per venire & credere interpretatur.

37.

Venire enim ad Christum est vera fide ad ipsum accedere, & meriti ac beneficiorum eius fieri participem. Credere in Christum est firma fide niti merito ac beneficijs Christi, & certò statuere, Carnem eius pro se oblatam in cruce, & sanguinem eius pro se effusum esse, in remissionem peccatorum.

Manduca-

38.

Manducatio igitur carnis Christi, & potio sanguinis Christi in hac tota concione non carnaliter & physice (sed nec sacramentaliter) intelligenda est, sed spiritualiter & mystice de fide apprehendente & applicante meritum carnis & sanguinis Christi, & beneficia, quæ Christus oblatione carnis suæ, & effusione sanguinis sui toti generi humano meruit, vt supra quoq; dictum fuit.

39.

Argumenta Hypothesin confirmantia sunt nouem, hinc inde per *ἰσχυρισμὸν* sparsa. Primum ducitur ab ingenti miseria omnium hominum, qui fame quadam & siti spirituali atq; æterna laborant propter peccatum.

40.

Ea est carentia summorum bonorum existentium in DEO, & sensus horrendæ iræ Dei, aduersus peccatum, coniunctus cum ingenti dolore ac pauore, mergente animam anxiam & consternatam in desperationem & exitium æternum.

41.

Secundum à dignitate & efficacia meriti Christi, quod in seria conuersione vera fide apprehensum atq; applicatum, spiritua- lem famem ac sitim, omnemq; sensum iræ Dei, & dolorum infernalium in credentibus extinguit, & accendit in eis consolationem & lætitiã spiritualem, quæ est initium & gustus vitæ æternæ.

42.

Tertium ab autoritate patris cœlestis, qui filium suum vnigenitum misit in mundum, vt miseris peccatoribus sit panis & aqua vitæ, & serio vult, vt hunc panem & hanc aquam spiritualiter per fidem manducantes & bibentes, non pereant, sed saluentur, & in die nouissimo resuscitentur ad vitam beatam & immortalem.

43.

Quartum à causa descensus Christi de cœlo, qui cum naturam Deum esset, ideo humanam naturam assumpsit, & è cœlesti gloria in abyssum seu vallem profundissimam miseriarum nostrarum se demisit, vt iuxta voluntatem Patris fieret victima pro peccatis, & credentibus ab omni interitu vindicatis conferret vitam ac salutem æternam.

B

Quintum



44.

Quintum à potestate dandi vitam æternam, ita vt credentes initia eius in se accēsa sentiant, dum adhuc in terris sub cruce versantur, & perfectionem eius consequantur in die nouissimo, quando etiam mortui, & in puluerem redacti, cum corporibus nouis, ad beatitudinem sempiternam resuscitabuntur.

45.

Sextum à precioso sacrificio carnis & sanguinis Christi, quod in cruce oblatum toti mundo vitam meretur, & non solum λύτρον sufficiens est pro peccatis totius generis humani, sed etiam credentes omnes liberat à morte, & efficit eos hæredes vitæ ac salutis æternæ.

46.

Septimum à virtute viuificatrice, quam Christus per pulchram expolitionē crebrò repetitis verbis & sentētijs carni suæ & sanguini suo tribuit, quod reuera viuificent credētes merito & efficacia, non ex se, aut in se, aut per se, sed potentia diuinæ naturæ, cum qua propter Vnionem Hypostaticam veram ac realem κοινωνίαν habent.

47.

Octauum à spirituali consociatione credentium cum Christo, quæ fit mediante eius carne & sanguine, vt fide participes facti sacrosanctæ huius carnis, & sanguinis preciosi, velut membra & palmites copulentur & inserantur Christo, & ab hoc velut capite, & vite saluifica, vigorem vitalem & consolationem efficacem hauriant, quæ est victrix mortis & inferorum.

48.

Nonum à necessario, seu ab immutabili decreto Dei, quo ita sancitum & constitutum esse, solenni iuramento confirmat Christus, vt, quicumque carnem & sanguinem eius fide non manducarent ac biberint, vita æterna careant, & in æternum damnentur: soli autem illi vitam ac salutem æternam consequantur, qui carnem & sanguinem eius manducant ac bibunt, & firmiter credūt, oblatione huius carnis, & effusione huius sanguinis peccata sua expiata esse.

Hæc

49.

Hæc argumenta cum surdis auribus prætereant, & sceleratè contemnant Iudæi, summam ipsorum incredulitatem, & stuporem ingentem, grauiſſima querela deplorat Christus.

50.

Et causam eius esse docet, non arcanum aliquod & absolutum prædestinationis decretum, aut *προσωποληψίαν* in Deo, sed Epicureum contemptum Euangelij, propter quem Iudæi à Deo Patre iustè reijciantur ac deserantur.

51.

Deus enim Pater Filio suo in peculium & hæreditatem æternam non dat securos Hypocritas, contemnētes Euangelium, sed eos tantum, qui sincero studio audiunt & discunt Euangelium, & verum eius intellectum sibi communicari petunt.

52.

In his efficax per Spiritum sanctum, accendit fidem veram, qua in doloribus, ortis ex agnitione peccatorum, & sensu iræ diuinæ, confugiunt & veniunt ad Christum, eiusq; meriti ac beneficiorum participes fiunt.

53.

Et quidem Christus ipse causam incredulitatis, & interitus hominum, tum à se, tum à Patre cœlesti expressè remouet.

54.

De se. n. dulcissimè inquit: Venientē ad me nō eijcio foràs, sed omnes peccatores in seria conuersione fide ad me confugientes, velut mendicos famelicos & lethaliter ægrotantes, exemplo pij ac benefici hospitis & medici, benignè suscipio, foueo, & curo, vt nulli repulsa extimescenda sit, modò ad me veniat.

55.

De Patre verò cœlesti palàm affirmat, hanc eius benignissimam voluntatem, & missionis suę causam esse, vt filius consentiente voluntate, ex omnibus, quos pater ipsi dedit, neminem perdat, sed omnibus, vidētibus Filium, & in eum credentibus, donet vitam æternam, & ad hanc in die nouissimo eos resuscitet.

56.

Modum verò & ordinem, quem Deus in conuersione & re-

B 2 gene-

generatione hominum seruat, disertè exponit & monstrat Christus, cum inquit: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego suscitabo eum in die nouissimo: scriptum est in Prophetis. Esa. 54. Jer. 31. Et erunt omnes docti à Deo: Omnis igitur, qui audit à Patre, & discit, venit ad me.

57.

Colligit Deus æternam Ecclesiam ex genere humano, non immediatè per fictos Enthusiasmos, vt Anabaptistæ & similes fanatici somniant: sed mediatè, per verbum sonans in Ministerio, quod vult ab omnibus hominibus audiri & disci.

58.

Et per hoc verbum auditum & cogitatum, tanquam per organum seu medium diuinitus ordinatum, efficax est Pater æternus, intus docens & illuminans corda, & trahens ea ad se & ad filium per Spiritum sanctum.

59.

Qui virtute sua semper adiunctus est Ministerio verbi & Sacramentorum, & per hoc conuersionem & salutem hominum cum Patre & Filio operatur, vt 2. Cor. 3. Paulus testatur: Euangelium est ministerium spiritus.

60.

Confutatio circa duas virulentas obiectiones Iudæorū versatur. Harum prior à contradictorijs ducitur, & refutatur à Christo per respectum diuersum, cum se diuerso respectu in terris natum, & de cælo descendisse docet.

61.

Posterior ab impossibili & absurdo ducitur, & refutatur à Christo per instantiam, cum esum carnis suæ, & potum sanguinis sui eò fortiùs vrget, quò magis eum à Iudæis, vt prodigiosum & abominandum, damnari audit.

62.

In Epilogo repetit Christus Hypothesin, quòd ipse sit panis vitæ, & inculcat præcipua argumenta, à suo descensu de cælo, & à virtute seu efficacia suæ carnis, cum ἐπιτασιν concludens inquit: Hic est panis ille, qui de cælo descendit. Non sicut patres vestri comederunt Manna, & mortui sunt. Qui comedit hunc panem, viuet in æternum.

Mem-

63.  
 Membra τῆς καταστροφῆς sunt tria. Primum est ἀποστασία, seu defe-  
 ctio Iudæorum & Capernaitarum à Christo, propter absurditatē  
 auditæ concionis, qua ad eò offenduntur, vt Tragicè exclament:  
 Durus est hic sermo, quis potest eum audire?

64.  
 Et quamuis perspicuam declarationem à Christo audiunt: ta-  
 men in incredulitate perseuerant, & Christū deserentes, vicissim  
 à Deo Patre deseruntur, vt propria sua culpa pereant.

65.  
 Secundum membrum τῆς καταστροφῆς est Apologia Christi ἐξη-  
 γητική, qua concionem suam non solum defendit, sed etiam vbe-  
 rius explicat & illustrat.

66.  
 Murmur enim Iudæorum retundit argumento à minori ad  
 maius: Si vos offendit concio in statu exinanitionis meæ de man-  
 ducatione carnis meæ habita in terris: quantò magis offendet  
 vos adscensio mea, & sessio ad dexteram Dei, cùm in statu exalta-  
 tionis, etiam secundum humanam naturam, diuina potentia re-  
 gnabo, & omnia potenter ac præsentè administrabo in cælo &  
 in terra.

67.  
 Deinde carnales opiniones de nuda & communi carne, quam  
 Capernaitæ Christo tribuebāt, & de Cyclopica huius carnis mā-  
 ducatione, rejicit Christus, cùm inquit: Spiritus est, qui viuificat,  
 caro non prodest quicquam: Verba, quæ loquor vobis, Spiritus &  
 vita sunt.

68.  
 Suam verò carnem, quæ Dei caro est, & à Spiritu seu λόγῳ, in  
 cuius ὑπόστασι subsistit, viuificandi virtutē haurit, à nuda & com-  
 muni carne accuratè discernit, ideoque verba sua de spiritali  
 manducatione, & de spiritali virtute carnis suæ intelligenda esse  
 docet.

69.  
 Magna igitur petulantia & atrox blasphemia est, quòd Sacra-  
 mentarij, Zyuingliani & Calvinistæ verba Christi: Caro non pro-  
 dest.

dest quicquam, simpliciter & sine vlla restrictione posita, ad carnem Christi restringunt, & hanc ad viuificationem credentium, quam soli Spiritui tribuunt, nihil prodesse, ideoque substantialem eius præsentiam & oralem manducationem in sacra Cœna, prorsus inutilem, superuacaneam, & minimè necessariam esse clamitant.

70.

Tandem exprobrat Christus Iudæis & Capernaitis obstinatum incredulitatem, quam vt καρδιογνώσις, etiam secundum humanam naturam, mox ab initio nouerat, & causam eius, vt priùs, nullam aliam esse confirmat, quam iustam desertionem Dei patris, propter Epicureum contemptum Euangelij.

71.

Tertium membrum καταστροφῆς est insignis confessio Apostolorum, cum de veritate, & efficacia doctrinæ Christi, tum de eius persona, officio, & beneficijs, cum Petrus reliquorum nomine magna cum πληροφορία exclamat: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, atque cognouimus, quod tu es Christus, filius Dei viuentis.

72.

Ex hac ἀναλύσει veram ac genuinam sententiam totius disputationis Christi, omnes pij facillè cognoscere, opiniones contrarias refutare, simulque intelligere possunt, inter hanc Disputationem, & inter institutionem sacrae Cœnæ, magnum discrimen esse, quod sequentia argumenta & testimonia grauissimè euidenter confirmant.

73.

Primum sumitur à tempore. Series enim historiarum docet, Disputationem cum Capernaitis ante tertium Pascha prædicationis Christi habitam, longiore interuallo, quàm est anni vnus, antecessisse cœnam Dominicam, quæ in ea demum nocte, qua Iudas prodidit Christum, instituta fuit, I. Corinth. II.

74.

Secundum à Symbolis seu Elementis sacramentalibus, quæ in concione Ioan. 6. expressè reijciuntur à Christo: in Cœnæ autem institutione seuerissimè ab eodem requiruntur, & ad distributionem



tionem ac perceptionem corporis & sanguinis preciosi destinantur.

75.

Tertium à genere sermonis, quod in concione Ioh. 6. figuratum est per Metaphoram, quam Christus ipse disertè explicat: In cœna verò Dominica planè proprium est, & omni figura, seu tropo carens, vt consensus trium Euangelistarum & Pauli Apostoli testatur.

76.

Quartum à forma manducationis, quæ in concione Ioan. 6. tantum est spiritualis, & fide vera definitur: In cœna autem Dominica corporalis est, quæ ore corporis fit, licet manducationem spiritualem (quod ad usum seu fructum Cœnæ salutarem attinet) non excludat, sed necessariò requirat.

77.

Quintum ab effectu manducationis. Quia manducatio fidei Ioan. 6. cum sit applicatio beneficiorum Christi, semper est salutaris, & à credentibus tantum fit ad salutem, & vitam æternam. Manducatio verò oris in sacra Cœna non semper est salutaris, sed indignis cedit ad iudicium, eò quòd non dijudicant corpus Domini, vt Paulus I. Cor. II. confirmat.

78.

Sextum ab obiecto manducationis. Quia manducatio Ioan. 6. respicit fructum, hoc est, meritum, & beneficia carnis & sanguinis Christi, quæ in salutari usu Cœnæ à dignè manducantibus fide percipiuntur: Manducatio in sacra Cœna respicit substantiam carnis & sanguinis Christi, quæ verè & realiter præsens etiam ab indignè manducantibus ore percipitur.

79.

Septimum à conditione & qualitate vtriusque manducationis, siquidem eam, quæ fide fit, & spiritualis nominatur, ad sacram Cœnam afferimus, eiusque confirmationem ibidem quærimus, cum per se languida sit & imbecillis. Eam verò, quæ ore fit, & corporalis nominatur, in sacra Cœna inuenimus, eaque velut pignore & sigillo spiritualis manducatio, quæ in fide consistit, confirmatur & obsignatur.

Octa-

80.

Octauum, à peculiaribus quibusdam circumstantijs, quòd mā-  
ducatio fidei Ioan. 6. omnium temporum est & locorum. Ideoq;  
communis fuit patribus veteris Testamenti, cum omnibus pijs in  
nouo Testamento: Manducatio verò corporalis in sacra Cœna,  
huius Sacramenti propria est, & tantum fit in solenni eius actio-  
ne, peculiariter instituta à Christo.

81.

Ideo patres veteris Testamenti huiusmodi manducatione ca-  
ruerunt, cum substantia corporis & sanguinis Christi nondum in  
rerum natura existeret, sed per typos tantum adumbraretur, &  
sacrum Cœnæ conuiuium nondum institutum esset à Christo.

82.

Hoc discrimine considerato non solum errores Sacramenta-  
riorum, Zvinglianorum & Calvinistarum de Cœna Domini, re-  
ctè dijudicari, sed etiam Homonymiæ, seu æquiuationes,  
quas pro defensione errorum ex Patribus addu-  
cunt, facile conciliari, & obiectiones ex  
his ortæ solidè refutari  
possunt.

F I N I S.

AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3  
003 485 560



*Sch*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.







Na 117

Thefes,  
INEMENTES

SPVTATIONIS CHRISTI  
ANE VITÆ, ET DE VERA  
tione, propositæ in Schola il-  
ri ad Fontes salutis  
anno 92.

A V T O R E

FRANCISCI, ABBA-  
TES SALVTIS, IN MAR-  
natu Brandenburgico.



V B I N G Æ  
Georgius Gruppenbachius.

D. X C I I.

